



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Candidatus Abbreviatus Jurisprudentiae Sacrae, Hoc Est,
Juris Canonici, Secundum Gregorii Papae IX. Libros V.
Decretalium Explanati Summa, Seu Compendium**

Pichler, Vitus

Augustae Vindel., 1733

Titulus XXXIX. De Syndico.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63440](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63440)

possit, si sibi consultum censuerit, quamvis non teneatur appellationem prosequi, ut habetur *l. 14. h. t.*

Quæres, an & qualem actionem adversus se habeant Dominus, & Procurator. Resp. uterque habet *actionem Mandati*, si unus ab altero sit læsus: & quidem Dominus *directam* ad prosequendum id, quod suâ interest ratione litis non exactissimè administratæ, vel negotii non cum debita diligentia gesti. *l. 9. 13. 21. C. Mandati*. Procurator autem *contrariam* ad consequendum id, quod ex causa Mandati bona fide præstitit, vel expendit. *l. 46. §. 5. ff. h. t.* Si autem Procurator salarium accipiat pro suo munere, Domino & Procuratori non actio Mandati, sed actio *locati & conducti* ipsis competit. *§. 13. Instit. de Manum.* De reliquo Contractus *Mandati* nihil est aliud, quàm contractus consensualis, bilateralis, quo negotium gratis gerendum alteri committitur, & suscipitur.

TITULUS XXXIX.

De Syndico.

SUMMARIUM.

1. Quis dicatur Syndicus.
2. Quæ sit ejus potestas & officium.

Syndicus est procurator, non qualiscunque & alicujus privati, sed universitatis, constitutus ad solas lites ejusdem generaliter

Pars I.

S

omnes

omnes: unde pleraque de Procuratoribus dicta etiam Syndico conveniunt. Per *Universitatem* intelligitur omnis collectio hominum, unum morale corpus constituens, & res communes habens, uti Civitas, Ecclesia, Monasterium, Collegium Clericorum &c. Differt à *Procuratore* tanquam species à genere; & à *Fiscali*, quia hic tantum causas criminales tractat, & multas Universitati debitas ac pœnas persequitur; ab *Actore* autem, quia hic non ad omnes generaliter lites, sed ad unam, vel ad certas tantum constituitur.

- 2 Dico. Potestas & officium Syndici ferè coincidit cum potestate ac officio Procuratoris; quia revera Procurator est, sed generalis, & integrè communitatis, non hominis privati. Amplior tamen est potestas Syndici, quia censetur esse constitutus *cum libera*. Gail l. 2. observ. 72. n. 11. Unde & ea, quæ speciale aliàs mandatum exigunt, potest, præterquam donare, & liquidum remittere debitum. Et quando jurat, non in animam Universitatis, sed in suam propriam jurat. per c. 3. de juram. cal. Et quamvis constituatur communi omnium, vel majoris partis communitatis consensu, revocari tamen à solo Prælato vel capite Universitatis potest. per c. 21. de Rescr. ubi soli Prælato conceditur administratio, & ut per se solum procuret causas communitatis.

